

Th



59752

kat.komp.



Mag. St. Dr.

P


Teol 4200.

*Matkowiec Paulis Nodus triplex sive Conclusio-
nes de Augustissimo Sacrosancti Trinitatis
mysterio.*

Biblioteka Jagiellońska



stdr0004688



NODVS
TRIPLEX,
S I V E

CONCLVSIONES
D E
Augustissimo SS. TRINITATIS



MYSTERIO,
SVB PATROCINIO
Illustris & Generosi Domini,

D. IOANNIS
ALEXANDRI
D E K O R A B N I K I

WAXMAN,
BVRGRABII ARCIS CRACOVIE:
S. R. M. SECRETARI;

P. E. R.
P. Fr. PAVLVM MALKOWICZ,
Sacrae Theologiae Cursorem
Publicè ad Disputandum

In Studio Formali Conuentus Maioris
Cracouiensis Beatissimæ V. MARIÆ in Arenis
Ordin: Frm̄ eiusdem Beatissimæ V. MARIÆ de
Monte Carmelo Regularis Obseruantia *X*

PROPOSITÆ.

Anno Domini, 1680. Mense Martii Die 18 Horis pomeridianis.

CRACOVIAE, Typis VNIVERSITATIS.



In Stemma Illicis & Generis fidem
 Auxilium Patriæ, Dividunt munera triplex
 Maxima Illustres, mania, tela Viros.
 O decus accipiant Diviti de munere triplex
 Aeternas laudes, prospera cuncta, Solam.



Illustri ac Generoso Domino,
D. IOANNI
ALEXANDRO


De Korábni

WAXMAN,
BVRGRABIO ARCIS
CRACOVIENSIS,
Sacrae Regiae Maiestatis Secretario.

Dño & Patrono Obseruandissimo.



Odum triplicem & tamen unicum TIBI ILLUSTRIS & GENEROSE DOMINE ferimus, non uno TIBI quotquot Carmelite sumus innexi nodo, ut ipsum non soluas, sed potius arctissime adstringas TIBI. Quis enim eum ausit soluere? qui nusquam ambitus est, medium nullibi, habet & tamen est ubiq;. Quis eum capiat, qui est intra omnia, sed non tamen inclusus in ipsis. Extra omnia, sed non tamen exclusus ab ipsis. Quis illius aut ferriem deprehendat, aut finem cogitet? qui est sine principio, principium: absq; fine, finis: cui prateritum non abit, haud subit futurum: qui est ante omnia, post omnia, totus, vnus, ipse. Ergo irritum hic conatum mortalitas nostra fatigaret sese, si eum comprehendere vellet, qui appendit tribus digitis, molem terra, & apud quem sunt omnes Gentes quasi stilla stilula, & quasi



quasi momentum statera teste sublimi vate. Et tamen, quantum cum nobis
 in tradita benignissimus Assertor revelavit fide, nodus hic, omnino nobis con-
 templandus, alioqui nunquam felicissima illa aternitate cumulandis. Hoc nos
 agimus **ILLVSTRIS DOMINE** sub Patrocinio & Favore **TV O**. Tria sunt
 quae nos huc impellunt, insignis eruditio **TV A**, eximia Virtus, & Summa
TV A in nos nostrumq; Ordinem Benevolentia. Eruditionem loquitur, In-
 doles **TV A** vinida, & exporrecta quam **TV** cum Inlyta Vniuersitatis Cra-
 coniensis penetrabilibus intulisses, Praceptorum desideria anteuertens, illorumq;
 sollicita circa **TE** cura, non onus, sed delictum factus, breui insignem in
 literis profectum, & floridam copiose loquentis Sapientia amanitatem es asse-
 cutus. Secuta est peregrinatio in Italiam Galliamq; omnium Regionum quae
 ad Occidentem receperunt cultissimas, in quibus cum non multam traxisses
 moram, illarum tamen Gentium elegantiam, lepores, & venustates abunde
 hausisti, eo fructu, ut in Patriam redux, fieres literatissimi Regum Serenissimi
MICHAELIS copiosum amoris argumentum. Agnoscens enim in **TE** pectus
 generoso incoctum honesto, suum intima admissionis Cubicularium fecit, &
 verè amplissimis honoribus exornasset, nisi immitium fatorum lege, in ipso
 propè Regni sui procinctu terris subductus eset. **TE** porrò tantò Patrono orba-
 tum, Virilis adsciuit Toga & Theatrum Ciuilis Vitæ maius, ut in eo grandis-
 rum Virtutum lumine coruscaves. Non enim **TE** otio corrumpendum dedisti,
 ut in eo quidquid est aui, vulgo mixtus, ignotus **TIBI**, ignoratus alijs,
 domesticos tantum inter Lares exigeres, sed quod à priuatis superest curis,
 totum in publicum transferres commodum, & liberator Patria, Amicis, bonis
 omnibus gratuita officas dedicas & imperdis. Non memoro alias eximias
 Virtutes **TV AS**, nec in breuis pagina angustijs multò illas ordine duco, hu-
 manitatem certe **TV AM** nos Carmelita experimur, maximè, quos **TV** ob-
 uia ac effusa liberalitate **TV A**, tantò gratiore, quantò grauius est aliorum
 fastidium, ita **TIBI** deuincis, & obnoxios reddis, ut nunquam ex animis,
 nunquam ex memoria nostra praclarissimum, & beneficum istud Nomen **TV-**
V M sit elapsurum. Huic fini tenuem istam operam nostram offerimus, Supre-
 mum semper Veneraturi Numen, ut **TE** omnibus suis muneribus, beneficijq;
 tanquam suauissimis Nodis Patria, Familia, Nobis diutissimè superstitem
 obliget adstringatq;.

Illustris & Generosæ Domina- tionis Tuæ

Humillimus Cliens & Exorator

Pr. PAVVS MAŁKOVVICZ, Sac. Th. Cursor,
Ordinis Carmelitarum.

CONCLVSIONES
EX SACRA THEOLOGIA
DE
Altissimo SS. TRINITATIS
Mysterio.

I.



Tante Reuelatione Diuinâ, Immediatâ, & mediatâ quâ certissimum est SS. TRINITATEM esse; Catholicè credimus. *Tres esse, qui testimonium dant in celo, Patrem, Verbum, & Spiritum, Sanctum & hos tres unum esse.*

II.

QVoniâ Veritas hæc de Existētia SS. TRINITATIS remotissima est à cognitione nostra purè naturali iuxta illud Matth. II. *Nemo novit Filium nisi Pater, & Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare:* illius non repugnantia, nec alicui in mentem incidere potest, nec aliunde argumento positivo demonstrari; suppositâ tamen Reuelatione, nonnullis purè naturalibus probari potest cōgruētis.

III.

FIDES docet duas dari in hoc Mysterio Processiones, seu Actiones productiuas v. g. Filij a Patre per intellectum, cuius Processio dicitur, *Generatio*; & Spiritus S. à Patre & Filio per Voluntatem, cuius Processio dicitur *Spiratio*.

IV.

ACTIONES istæ productiuæ sunt intellectio & Volitio notionales; non verò Essentiales in sensu formali & præcisivo sumptæ, quæ etiam quantumuis sumantur vt modificatæ Personalitatibus Personarum, dici non possunt Principia.

V.

PRINCIPIMUM igitur Filij est intellectus, non quidem Essentialis, sed vt Patris Obiectiuè indiuisibiliter: neq; similiter voluntas Essentialis est principium Spiritus S. sed voluntas vt Patris & vt Filij.

A

VI.

VI.

Processio Filij à Patre formaliter cōsistit in generatione actiua & passiuā idēticis indiuisibiliter; Processio autē Spiritus S. à Patre & Filio in Spiratione actiua & passiuā etiam identicis indiuisibiliter, quibus formaliter duæ istæ Personæ constituuntur; Pater verò non Processione aliqua, sed per esse Principij, quod habet à se, vt relatiui ad Filij generationem per intellectum, & Spiritus S. Spirationem per voluntatem, formalitèr constituitur.

VII.

Processionē Verbi ideò dicimus esse generationem, quia est Processio viuētis ex Substātia medio Principio *quo* per se siue ex genere suo necessario, videlicet *Intellectu*, quia verò Processio Spiritus S. à tali principio non est, sed à Principio ex genere suo libero, Sc: *voluntate*, generatio dici non potest.

VIII.

Quoniam Conciliū Toletanum II. ex communi sensu SS. Patrum definit, *Personas Diuinas hoc solo numerum significare, quod ad inuicem sunt*; rectissimè constitutiua Personarum Diuinarum dicuntur Relationes; quæ cum sint obiectiuè indiuisibiliter ipsa Diuina Essētia absoluta, reales positivæ dicuntur: quomodo autem hæ sint tres realiter obiectiuè, illaverò vnica? est huiusce SS. TRINITATIS Mysterij difficultas incomprehensibilis.

IX.

Relationes Diuinæ supra Essentiam Diuinam seu *esse in*, quod materialiter includunt, addunt *esse ad* siue Relatiuum; & si sumantur secundum *esse in* solùm modò ex parte actus nostri formaliter in actu exercito præcisiui, addunt proprietates explicandas, prout veritas & bonitas respectu entis explicantur.

X.

Nihil vetat admittere in DEO tres existentias Relatiuas & vnā absolutam. Relatiuæ autem vt tales, perfectiones sunt, non simpliciter, sed cum addito vt relatiuæ.

Quan-

XI.

QVandoquidem Subsistentia simpliciter pronuntiata significet id, quod naturam ultimò terminat, & dat illi esse incommunicabile alteri tanquàm supposito, sic simpliciter Subsistentiam quartam absolutam admittere non possumus; nisi præcisè sumatur, prout dat perfectissimè per se existere sine alterius realiter à se distincti, eum terminantis aut complementis indigentia.

XII.

Absolutè loquendo, & ex parte Personarum quæ constituuntur, Personæ Diuinæ æquè primò & immediatè Relationibus, Originibus, & Personalitatibus constituuntur. Ex parte verò nostri modi concipiendi dici possunt eo modo constitui, quo Subsistentias Diuinas concipere aliquis voluerit; melius tamen dicuntur Relationibus, quàm Originibus constitui.

XIII.

Improductio, innascibilitas &c. in Patre, quam Concilium Toletanum vi. & ii. Nicænum, & Symbolum Athanasij definit, fundatur in Relatione intellectus Patris tanquàm Principij ad Filium principiatum, seipsâ existente in Patre.

XIV.

Verbum procedit ex omnium omninò intuitiua Dei Patris cognitione, ac proinde Essentiæ, Attributionum, Personalitatum, & Entium possibilium; non tamen ex cognitione intuitiua futurorum, nisi quâ parte increata est, & formale constitutum creatum, qua contingens non inuoluit.

XV.

Recta fides contra Græcos Schismaticos docet Spiritum S. à Patre & Filio, vnicâ spiratione procedere, idq; verò similis liberè, non quidem libertate contingentis, sed libertate spontaneitatis, siue Processionis Naturalis volûtatis Diuinæ.

XVI.

In hypothesi, quâ Spiritus Sanctus non procederet à Filio, procedere tamen à Patre per voluntatem supponitur; adhuc Spiritum Sanctum distingui realitè à Filio firmiter tenemus.

XVII.

Cum fide constet DEI Filium mitti iuxta illud Apostoli, ad Galat: 4. *Misit DEVS Filium suum factum ex muliere;* pariter & Spiritum Sanctum, iuxta illud Ioan: 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Resoluimus Diuinarum Personarum missionem in eo specialiter consistere, quod sit vnus Personæ Diuinæ ab alia Processio æterna ad temporalem apparentiam, vel operandum temporaliter aliquem effectum insolitum.

XVIII.

AD saluandam vnus Essentiæ TRINITATEM Personarum; voces, quæ in Diuinis Naturæ Diuinæ Diuersitatem & differentiam significant, naturæ Diuinæ applicari non posse; quæ verò Personæ Diuinæ Diuersitatem & differentiam significant, Personæ Diuinæ applicari posse, defendimus.

Ad M. D. G. B. V. MARIÆ Honorem.



Disputabuntur Cracouia in Conuentu Aienario PP. Carmelitarum Regularis Observantia. Respondente eodem vt supra. Sub assistentia R. ac Venerabilis Patris MARTINI BEHM, Sac: Theologia in Alma Vniuersitate Cracouensi DOCTORIS, Studiorum Generalium in eodem Conuentu Meritissimi REGENTIS. Anno Domini, 1680. Mense *Aprilis* Die *29* Horis pomeridianis *J. X. X. X.*



27
27
27

3

